

V  
J  
1283





487

g  
283

509.



6

— 2





ORATIO DE  
TRIBVS FARINAE SA  
tis, habita in renunciatione  
gradus Magisterij philoso  
phici a Philippo  
Melanthere:

ANNO.

1548.

XVII, 509.

10.



GRAVITO DE  
TRIVESTARIANA  
in hunc in terminum  
Gardus Magister  
quid a  
Mistionum



o  
t  
s  
n  
p  
o  
b  
co  
vo  
ce





# ORATIO DE TRIBVS FARINAE SA

tis, habita in renunciatione  
gradus Magisterij philoso  
phici a Philippo  
Melanthonē :



**CONFIRMAT** Deus se  
Ecclesiā suam ita serua  
turum esse, vt cum in  
vineā non vberimo tē  
pore, paucae tantum  
Vuae natae sunt, sed a  
deo pulchrae & grate  
colono, vt diligenter eas custodiat, & le  
tus deo pro his muneribus gratias agat.  
Sic cū hactenus & Ecclesias in his regio  
nibus & hunc nostrum hortulum seruet,  
primum vos adhortor, vt pectora & lin  
gue vestrae mecum et gratias agant deo,  
& petant, vt deinceps nos seruet & gu  
bernet. Non enim foelices sunt hominū  
conatus sine auxilio dei. Sed gemitus &  
vota ad filium dei custodem agminis dis  
centium adferamus, & sciamus ea non  
esse

A ij

esse



esse irrita.

Tibi igitur omnipotens deus, æter-  
ne pater domini nostri Iesu christi, cō-  
ditor cœli & terræ, vna cū filio tuo cō-  
æterno dño nostro Iesu Christo & spi-  
ritu sancto tuo, sapiēs, bone, verax, iuste,  
caste, misericors, gratias agimus, quod  
hacten⁹ nos seruaſti, nec casu nos super-  
stitēs esse sentimus, sed tuę misericordiæ  
tribuimus, q̄ non deleri nos fontes pa-  
teris, quodq; discentium cœtus aliquos  
protegis, Ac ardētibus votis te propter  
filiū dominū nostrū Iesū christū cruci-  
fixū & resuscitatū oramus, vt deinceps  
nos serues, & mentes nostras gubernes,  
vt studia & omnia consilia sint salutaria  
nobis & alijs, & vt vere simus vasa mise-  
ricordię, & te vera gratitudine celebra-  
mus.

Hæc vota in his congressibus sepe  
repetenda sunt, non enim existimemus  
eos prophana spectacula esse, sed disci-  
plinæ causa instituti sunt, & vt in Eccle-  
sia, ita in hac frequentia sint præcipui a-  
ctus, inuocatio, & cōmonefactio de do-  
ctrinæ



strinae studijs, & de disciplina.

Nunc igitur ut accedat commune  
factio, enarrabo dictum venustissimū,  
in q̄ Ecclesie & scholarū imago pingitur.  
**SIMILE EST REGNUM CELO-  
RVM FERMENTO, QVOD MV-  
LIER MISCET TRIBVS SATIS  
FARINAE, VT TOTA MASSA  
FERMENTETVR.**

Scitis vsitatum esse, sumere imagi-  
nes ex physicis exemplis, quæ quidem  
blandiores sunt, cum a reb<sup>9</sup> domesticis, &  
ex œconomia sumuntur.

Ac opposita est hæc imago persuas-  
sionis pharisaicæ, quæ cum fingeret re-  
gnum Messiaë, imperium mundi fore, si-  
mile Cyri aut Alexãdri imperio, pollice-  
batur stultæ multitudini prouinciarum  
partitionem, ocium, opes, voluptates,  
Hæc quia grata sunt, mirabiliter fascina-  
tæ erant mentes hac opinione. Nam quæ  
volunt homines, ea libenter credunt, vt  
inquit Demosthencs,

Sed contraria imago regni Messiaë  
hic ostenditur. Imo inquit, Ecclesia non  
reget imperia mundi, sed erit doctrix, &

A iij



vt mater familias miscebit aliquot modis  
dijs farinae fermentum, id est animis &  
pectoribus auditorū inseret doctrinam,  
vt sensus ac motus animorum ad deum  
flectantur.

Vt autem propius aspiciamus hanc  
imaginem, consideremus vnde sumpta  
sit, & singula verba expendamus. Nar-  
ratio prorsus similis est in Genesi de con-  
uiuio, in quo Abraham excipit tres vi-  
ros, inter quos erat filius dei, vbi mandat  
matri familias, vt cito coquat panes ex  
tribus farinae satis, & mactat ipse tenerū  
vitulum.

Mouet me narrationis similitudo,  
vt existimē Christum eius conuiuij me-  
morem, inde sumpsisse hanc imaginem,  
& quasi deducere auditores ad conside-  
randū illud ipsum conuiuū, quod etiam  
imago est Ecclesiae, Abraham sacerdos  
mactat vitulum, qui significat venturam  
victimam, mater familias panes, id est  
doctrinam distribuit. Absidet ipse filius  
dei, qui semper adest Ecclesiae suae, & con-  
uiuas suo sermone recreat, & promissi-  
onem



onē precipuā repetit. Intellexit Abrahā  
quid ageretur, nec similem duxit esse e-  
am cœnam quotidianis officijs, erga ali-  
os hospites, sed agnouit dominum quem  
sciebat Ecclesiæ custodem esse, & fore  
victimam pro nobis. Hunc cernunt ocu-  
lis Abraham & Sara, huius pectus & ge-  
nas dulcissimo complexu premūt. Hunc  
audiunt concionantem de miranda pro-  
missione, & de iudicio dei.

Et quia fiunt illustriores historiæ,  
consideratione locorum, locum etiam o-  
culis aspiciate in tabulis vestris. Hic festus  
dies & hæc panegyris celebrata est in  
Hebrō, quæ deinde Māre nominata est,  
quæ distabat quinque miliaribus germani-  
cis & paulo amplius a Ierosolyma, fuitque  
postea ipsi Abrahæ, Isaac, & Iacob sepul-  
turæ locus, quasi vt expectarent corpo-  
ra in eo ipso vestigio vitæ reuolutionē,  
in quo promissio edita erat.

Cum autem non dubium sit, huius  
cœnæ recordationem suauem fuisse ipsi  
hospiti, sepe multumque cogitanti de pa-  
tribus, tãque de dulcissimis amicis, consen-

A iij

taneum



paneum est inde narrationem in Euangeli-  
gelio sumptam esse, nosq; velut ad eius  
coenae considerationem, imo ad has ip-  
sas epulas deduci. Arbitror etiam coenae  
institute in Ecclesia typum fuisse illud  
ipsum conuiuium.

Sed vndecunq; sumpta est narratio  
in Euangelio de tribus satis, verba certe  
congruunt, & idem significant. Nunc  
partes recitemus.

Fermentum significat doctrinam.  
Et cū propter similitudinem tales fiant  
collationes, considerandum est, quæ sint  
utilitates fermenti, & in pane, & in corpo-  
re hominis nutriendo. Fermenti effectus  
sunt in pane, inflare, rarefacere & at-  
tenuare. Hac primū eo cōducunt, vt in  
pane singulae partes recte & æqualiter  
coqui possint. Deinde nostris corporib:  
utilior est panis rarior, tenuior, leuior,  
ac æquabiliter assatus facilius enim arri-  
pit natura nostri corporis attenuatas &  
rarefactas partes. Et ipsa mixtura fer-  
menti rarefactionem in ventriculo ad-  
iuuat. Deinde & sapor ex acido & falso  
mixtus



mixtus, coctionem irritat & acuit. Figit  
etiam & quasi glutinat nutrimentum.  
Cū igitur multæ & magnæ sint utilita-  
tes fermenti, Galenus aliquoties dicit, mi-  
nime salubre esse panes nō fermentatos.

Iam ad doctrinam fiat collatio dex-  
tre, non exiliter & curiose.

Flatus & motus nouos doctrina ex-  
uscitat in pectorib⁹, & squalorem cordis  
nostri discutit & firmum nutrimentum  
est animarum, nouam vitam & leticiam  
quasi succum nouum gignens.

Sed cur tria fata sunt? Hic primum  
moneo rudiores, fatum Ebraicam adpel-  
lationem esse mensuræ, quæ fere duos  
modios veteres Romanos cōtinet. Tri-  
a igitur fata pene medimnū efficiunt, qui  
congruit cū vsitata Lipsica mensura, cui  
a scapha nomen est, quæ tantum fari-  
næ continet, quantū semel in mediocri  
familia pinsitur. Næc dubito numerū cer-  
to cōsilio & in genesi scriptū esse, et po-  
stea repetitū, vt lectori nō hebeti discrimi-  
na aliqua in audiētibus significarētur.

Nec mihi displicet, quod aliqui tria

**A** v tempo



tempora intelligunt cœtum vocatū ante diluuium, cœtum vocatum post diluuium vsq; ad resurrectionem Christi, & deinde cœtum, qui vocatur inde vsq; ab Apostolis ad finem mundi.

Sed cum vires precipuas in natura hominum considero, aptissime accōmodari ad eas hic numerus videtur. Res enim in conspectu est, tres precipuas vires Euangelio in eas infuso emendari & renouari, ἡ γεμονικὸν, θυμικὸν, ἢ ἐπιθυμητικὸν

Ac vt de singulis pauca dīcā, etsi gloriosum nomē est summe partis, que vocatur ἡ γεμονικὸν, tamē in ea multū est caliginis & viciorum, retinet mens etiā in hac viciosa natura noticiam aliquam legis, vt numerorum, aut figurarum. Sed tamen sine Euangelio de filio dei, magnæ tenebræ sunt in mente. Alij furenter negant esse deum, tollūt prouidentiam, & discrimen recte & secus factorum, alij in perpetua dubitatione manent, Alij ludunt fingendis nouis numinib. infinitis. Neq; hi errores tantum grassabantur in-

ter



ter Ethnicos. Sed omnium ætatum atq[ue]  
hominū sine luce Euangelij similes sunt  
errores de deo, & de inuocatione. Et  
multitudo semper fauet ijs opinionibus  
quibus innutrita est, vt dicitur  $\omega\tilde{\alpha}\nu\tau\acute{o}\sigma\tilde{\upsilon}\rho$   
 $\tau\rho\omicron\phi\omicron\rho\ \gamma\lambda\upsilon\kappa\acute{\upsilon}$ .

Nec raro peccat  $\eta\gamma\epsilon\mu\omicron\nu\iota\kappa\omicron\mu$  specie  
sapientiæ, vt cū politici gubernatores at  
temperant religiones ad imperia, & pa-  
cis causa laxant dogmata, vt in synodo  
Syrmiana tollebatur  $\delta\mu\omicron\omicron\upsilon\sigma\iota\omicron\rho$  ex sym-  
bolo, & inferebatur  $\delta\mu\omicron\iota\omicron\rho$ , vt symbolū  
vtriq[ue] parti velut cothurnus vtriq[ue] pedi  
conuenire videretur.

Deinde in Secundo & tertio gradu  
virium hominis quanta sunt incendia  
prauarum cupiditatum, Ambitiones,  
æmulationes, odia, maleuolentiæ, liuores,  
cupiditas vindictæ, dolores propter repul-  
sam, auaricia, libidines? Nec est vl-  
la tam moderata natura, quæ nō sentiat  
aliquas errantes cupiditates.

Cum autem doctrina Euangelij  
velut fermentum virib[us] nostris miscetur,  
iam quasi flatus noui fiunt, mens incipit  
recte



recte agnoscere deum, & statuit summa  
reuerentia audiendam esse vocem dei, &  
ad hanc normam iudicia omnia, & om-  
nes motus cordium conuenire oportere.  
Non ludit opinionibus de deo, vt philo-  
sophi, aut idolorum plastæ, non inflectit  
doctrinã ad politicas opiniones. Sed re-  
uerenter acquiescit in voce patefacta a  
deo.

Deinde & in corde fit quasi succus  
nouus, dilectio dei, studium quærendæ  
veritatis, & tuendæ tranquillitatis in Ec-  
clesia, beneuolentia erga omnes, mode-  
stia reprimens ambitionẽ, mansuetudo  
cõdonans cõmuni trãquillitati iniurias.

Sint igitur hæc, vt dictum est, tria  
sata, ἡ γερμονικὸν θυμικόν & ἐπιθυμητικόν seu  
mens, voluntas, & cor in homine, quibus  
misceri fermentum id est Euangelium o-  
portet, vt melior succus in nobis fiat.

Quo autem modo fiat hæc conuer-  
sio, ex cõmuni doctrina de pœnitẽtia sci-  
tis. Cũ doctrina arguit peccata, corda ex-  
pauescunt, ita velut acido & falso sapo-  
re roduntur.

Deinde



Deinde cum accedit consolatio, au-  
dita promissione, redditur vita & leti-  
cia, quasi nouo succo infuso. Neq; hæc  
subito perficiuntur, sed longa & assidua  
subactio & assatio fiat, & quod verbis  
Ebreis in Genesi diserte significatū est,  
studiose legenda, audienda, meditanda  
est doctrina cælestis, & in quotidianis  
miserijs ad inuocationem & vera exerci-  
tia transferenda. Hoc est subigi farinā  
et assari in cineribus, id est, inter varias  
grumnas, quib. commonefacti agnosca-  
mus iustam & magnam esse irā dei ad-  
uersus peccata in tote genere humano,  
& velut in cinerib. abiecti & summissi  
deploremus nostra delicta, & petamus  
nos seruari propter mediatorem. Si-  
cut in cineribus iacebāt exules Ieremias  
& alij, cum incensa patria tota gens mi-  
serabiliter dissiparetur.

Hæc admonitio de assiduitate sub-  
actionis accendat in nobis diligentiam  
& curam discendi, sciamus non subito re-  
rum maximarum doctrinam totam ar-  
ripi. Nec sumant sibi potestatem dog-  
mata



mata condendi in Ecclesia dei, homines  
ociosi, qui vtcunq; obiter degustarunt  
doctrinam.

Et quoniam imago panum præci-  
pue ad scholasticos pertinet, vocabula  
etiam interpretabimur, quid vocarit an-  
tiquitas panes in cineribus assatos. Diffe-  
runt panes materia, differunt & modo  
assationis, ac nimis longum esset om-  
nia persequi. Tantum hoc addam, Alij  
panes κλιβαριται, id est furnarij dicti sunt,  
qui nostro more in furnis assati sunt,  
quos quidem meliores esse Galenus di-  
cit. Sed ars est recentior. Alius modus  
fuit vetustior, in foco inter cineres vel  
in testa assari panes. Hi dicuntur  
εγκρυφιαι, quasi tecti cineribus, quorum  
sæpe fit mentio in Græca lectione pro-  
pheticorum librorum. Et in Leuitico in  
quadam descriptione oblationis, satis cō-  
cinna allegoria traditur a Græcis inter-  
pretibus, panem εγκρυφισιν typum esse  
Christi in sepulchro tanq; inter cineres  
iacentis.

Sed



Sed in alijs locis ad nos auditores  
proprie accommodanda est figura. Nos  
sumus ἐγκύφια, obruti cineribus, squa-  
lidi, ærumnosi, sed hanc consolationem  
teneamus, deo placere hæc doctrinæ  
studia, eumque custodem esse sui cœtus,  
& semper agmina aliqua discipulorum ser-  
uaturum esse, & colligi hoc modo æter-  
nam ipsi Ecclesiam. Hac confirmati cō-  
solatione has scholasticas operas & ame-  
mus & studiose faciamus, & Ecclesiæ ac  
posteris philosophiam & doctrinam de  
deo incorruptam tradamus. DIXI.

QVAESTIO



QVAESTIO IN  
EADEM RENVNCIA-  
tione Magistrorum recitata.



TRVN  
que ad discipli-  
nam pertinet, mo-  
deste legibus ob-  
temperare, & cū  
iubent præcepto-  
res, in cœtu publi-  
co de re aliqua  
differere, verecū-  
de sententiam exponere.

Cum autem me & consuetudo &  
præceptorum autoritas cogat hoc loco  
aliquid dicere, & maior in tali re laus sit  
officij ac obedientiæ, quam eruditionis,  
quæso vicissim vt me paciēter audiatis.

Cum autem sumenda sit materia  
ex Philosophica doctrina, & dulcissima  
sit consideratio mirandi opificij in huma-  
no corpore, dicam aliquid de duob. ca-  
nalib. qui a faucibus orti, descendunt in  
corpus



pus, alter in pulmonem, alter in ventricu-  
culum quorum illi qui in pulmonem, ten-  
dit, nomen est Trachea arteria, huic ve-  
ro longiori, qui ventriculo adiunctus  
est, nomen est *δισσοφάγος*.

Hos cum sic discernat Plato, vt dis-  
cat œsophago cibum vehi in ventricu-  
lum, Tracheam vero canalem esse po-  
tus, duriter reprehensus est a multis.  
Hinc duæ quæstiones oriuntur, altera de  
officijs horum canalium, altera an excu-  
sari Plato possit.

Ac primum mirifica omnino fabri-  
catio est humani corporis, in qua tantum  
artis adhibuit opifex, vt agnosceremus  
non casu extitisse hanc naturam rerum,  
sed a mente architectatrice conditam esse.  
Et hoc modo inuestigari se in hac opifi-  
cij consideratione, & obedientia nostra  
preparari nos ad immortalem vitam vo-  
luit. Miretur enim aliquis, Si homines  
conditi sunt non ad hanc mortalem vi-  
tam, sed vt in æterna luce & sapientia vi-  
uant, quid fuit opus adiungere in homi-  
ne culinam parti rationali? Si autem tan-  
tum ad mortalem vitam conditus est,  
quid opus fuit tanta arte? B Etsi



Etsi autem non dubium est, primis parentibus ipsam naturæ consideratio- nem fuisse illustre testimonium de deo, tamen nobis in hac caligine hæc ratiocinationes de deo sunt obscuriores. Et tamen causa consilij diuini tenenda est.

Tanta est varietas tanq̃ machinarū in humano corpore, vt de artifice nos admoneant.

Præterea, non ad mortalem tantū vitā conditi sumus, sed adiuncta est culina parti intelligenti, quia nos preparari in hac vita ad æternam consuetudinem voluit, in hac mortali consuetudine voluit initia æternæ lucis accendi. Ideo parti intelligenti adiuncta est culina.

Nunc breuiter dicam de officijs illorum canalium. Manifestum est œsophago & cibum & potum vehi in ventriculum. Nam & potu necesse est cibos fieri humidiores, & sanguis in Epate non tantum ex cibo, sed etiam ex potu gignitur. Influere igitur potum in ventriculum necesse est.

Trachea vero nō culinæ causa facta est sed propter spirationem & vocem, oratorium



torium organum est, quod necessarium  
fuit nature conditæ ad societatem. Vt au-  
tem tota societas ideo precipue necessa-  
ria est, vt alij alios de deo & de rebus bo-  
nis doceant, ita precipue necessariae res  
sunt, sermonis cõmunicatio, & oratoria  
instrumēta, qua in re etiam hoc admiran-  
dum est, cordi tanq̃ regi adiunctum esse  
oratore,

Hæc de discrimine canalium vera &  
nota sunt, Nec aliud Plato sentit.

Cur igitur potū attribuit Tracheæ  
fortassis partem attribuit, quia certe ne-  
cesse est rigari pulmonem, cuius arefa-  
ctio exitialis est vitæ.

Cum autem hæc quæstio digna sit  
disputatione eruditorū, & profecto ne-  
cessaria sit homini consideratio huius mi-  
randi theatri, quod in opificio humani  
corporis deus nobis proposuit, defero  
hanc questionem ad magnificentum domi-  
num vicerectorem M. Ioannem Mar-  
cellum conterraneum meum charissimū,  
quem oro, vt quanq̃ amplitudo harum  
rerum non potest paucis explicari, tamē  
ad cõmonefaciendos auditores aliquid

B ij      dicat



dicat de miranda copulatione diuersissimi  
marum machinarum in homine, de in-  
strumentis noticię, de organis oratorij,  
& de nutritione. Vtile est profecto  
cogitare, quo consilio res tam diuersas in  
hominis naturam Deus incluserit.

DIXI.

## RESPONSIO



GO vero charissimi  
auditores, & si sæ-  
pe me ad naturę cõ-  
siderationem vtcun-  
que exuscito, tamẽ  
mox opprimor ipsa  
magnitudine, &  
quasi mole rerũ tan-  
tarum, ita vt velut attonitus & pene ex-  
animatus obstupescam, ac doleam, cum  
natura condita sit ad hanc sapientiam,  
vix exiguam vmbra[m] aspici posse, &  
fortassis hæc ipsa in nobis auiditas peni-  
tus cognoscẽdi & naturam & opificem,  
significatio est insita naturę, testificans  
nos ad cõsuetudinem æternam Dei con-  
ditos



ditos esse, vbi Architectus ipse & operū  
suorum ideam, & cōsilia nobis ostendet.

Dicam autem breuiter de tuis quæ-  
stionibus.

Est omnino miranda copulatio di-  
uersissimarum machinarum in homine.  
Nam si ad eternā sapientiam conditi su-  
mus, quare adiuncta est hæc tam sordi-  
da culina?

Consilij huius verissima causa est,  
quia voluit Deus naturam aliquam cor-  
poream esse, quæ in hac ipsa vita fruente  
rebus nascentibus, ipsi seruiret, & nunc  
præpararetur ad æternam consuetudinē  
coelestium. Nunc igitur discenda sunt  
initia doctrinæ, Nunc accendi lucem &  
iusticiam æternam oportet, Ne expe-  
ctato coelestem Dei consuetudinem, ni-  
si in hac vita mortali præparatus, ad deū  
accedas, hic ordo institutus est mirando  
ipsius consilio. Ideo ad nos filium misit,  
& quidem simili natura copulata, Ideo  
in hac vita vult doceri homines, Ideo da-  
tus est sermo, & in corpore oratoria or-  
gana condita sunt, Ideo seruat & serua-  
turus est in genere humano ministeriū

B iij

Euange



**Euangelij.** Non igitur repugnemus voluntati dei, sed statim à vitæ initio cœlestem doctrinam discamus, & toto vitæ spacio eam meditemur, & ei obedire incipiamus.

Illud etiam addo tuæ orationi, recte dicis Cordi tanquam regi vocis organa addita esse, Sed illud quoq; addendum est. Eundem esse vocis & spiritus canalem, vt significetur, ex corde æterni patris simul & vocem Euangelij edî, & dari spiritū sanctum per vocem Euangelij. Mirabiles significationes de deo sparsæ sunt in totam rerum naturam, vt non temere dictum sit, Omnia plena deo.

Sed venio ad quæstionem de potu. Non dissentit Plato à cæteris, sed fateatur ipse quoq; idem esse iter cibi & potus, & eundem canalem Oesophagum. Interea tamen obiter ait potu rigari pulmonem, quod verum est, atq; ita veteres docti homines locuti sunt.

**Alceus**



Alceus enim inquit τέργυε πνεύμο  
νασ οίνω. Et Euripides οἶνος περᾶσασ πνευ-  
μόνων διαρροάσ. Vinum penetrans pul-  
monum meatus. Instillari igitur aliquid  
velut rorem in tracheam consentaneum  
est, presertim cū pulmōni & cordi opus  
sit rigatione & in siti constat mox quasi  
recreari cor potu refrigeratum. Et ta-  
men verum est, distincta esse officia ca-  
nalianum, vt res ostendit, suffocari homi-  
nem, cum vel exigua mica in aditum  
Tracheæ illapsa est.

Nec nulla est significatio in hac ip-  
sa distinctione; sicut horū canalium offi-  
cia vult deus distincta esse, ita oratorem  
in Ecclesia seiungit a politico guberna-  
tore.

Multæ autem confusiones doctri-  
narum & vitæ inde oriuntur, cum hæc  
officia confunduntur.

Sed hanc querelam omitto, ac deſi-  
oro, vt & singulos gradus gubernet, &  
seruet inter nos Ecclesiam, & semen ali-  
quod sanctum.

DIXI.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 20 horizontal lines.

DIXI.





9/4283

mc





~~Handwritten scribble~~  
9 4283



3


Handwritten text, possibly a title or page number, faintly visible on the blue paper.













B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



TIO DE  
 FARINAE SA  
 in renunciatione  
 Magisterij philoso  
 a Philippo  
 anthone:



NNO,  
 5 4 8;

19.  
 10.

